

NUMMUS TRIUMPHALIS
SIGISMUNDI PRIMI REGIS PO-
LONIÆ: CUSUS A PRÆLIO MEMORABILI
quo Basilium Moschoviæ ducem ad Ors-
ham vicit, atque fugavit. Anno
Christi 1514.



SIGISMUNDUS Primus Rex Poloniæ audiens, Smolenscko arcem munitissimam in ditionem Lituanorum à Moscho-
viæ Duce Basilio captam, exercitum ad ulciscendum hostem
duxit: Moschas 80000. Equitum contra Regem destinavit:
Polonorum autem & Lituanorum copiæ 3,000. non ex-
debant. Constantinus Ostrogus Dux exercitus, strato
ponte ultra Borysthenem, juxta Orsham oppidum transfert pedites: equi-
tatus verò angustum vallum sub ipso Castro Orshæ superat. Mox ubi di-
midia pars exercitus Borysthenem transfret, nunciatur Johanni Andreæ
Celadin, cui summa rerum à Moscho commissa erat, ut hanc exercitus par-
tem invaderet. At illi visum, quò integrâ potiretur victoriâ, expectare, dum
totus hostis exercitus fluvium transmisisset. Prælij initio Moschoviæ in
Lituanos impetum faciunt: illi haud timidi, strenuè resistunt. Inde maxi-
mâ vi certatur. Tandem Lituari cedentes ad collem, ubi tormenta collo-
cata erant, ea in Moschos insequentes exonerant: extremamque aciem eo-
rum in subsidiis collocatam feriunt, turbant, dirimunt. Hoc novo belli
genere Moschi perterriti terga vertunt, quos Lituari cum Polonis con-
versi, omnibus copiis effusis, insequuntur, fugant, confodiunt, cæduntque.
Bellum sola nox diremit. Est inter Orsham & Dubrounam fluvius Cro-
piuna dictus: In cujus dubiis & altis ripis Moschi fugientes tot submersi,
ut cursus fluminis impediretur. Capti sunt eo in conflictu omnes mili-
tiæ præfecti & Consiliarii, qui ad Regem missi sunt. Johannes verò Celi-
din supremus Dux exercitus, cum duobus præcipuis viris, Vilnæ in com-
pedibus ferreis detinebatur. Cæsa sunt tunc temporis Moschorum 42000.
capti 2000. exceptis iis, qui in fuga aquis obruti sunt. Ex Polonis & Lituanis
300. duntaxat occubuerunt. In magna victoria & felici rerum omnium suc-
cessu, mortalitatis nihilominus memor est Rex laudatissimus: memoresque
vult